

## FREDEGARIUS SCHOLASTICUS

### Chronicarum libri IV, SS rer. Merov. 2

Liber III, 20-21

**3. 20.** Tunc ad presens Glodoveo perducetur, ipsamque in matrimonium Chlodoveus accepit, quam culto regale perfecto dilixit amore. Habebat iam tunc Chlodoveus filium de concubina nomen Theudericum. Chrotechildis cum primogenitum filium habuisset, quem baptismum consecrare vellit, verum adsiduae suadens, christianus efficere, nullatenus ad conciliandum regis animus movebatur, dicens: 'Deorum nostrorum iussione cuncta creantur; Deus vester nihil posse manifestatur'. Regina filium ad baptismum exibet. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem vocitabant, in albis obiit. Qua de causa permutus felle rex, increpabat regina, dicens: 'In nomine deorum meorum puer fuisset, vixerat'. Regina Deo omnipotenti gratias agens, ut de utero suo genitum in regno suo acceperit. Post hunc genuit filium, quem Chlodomere vocavit. Cum baptizatus aegrotare coepisset, dicebat rex: 'Et isti, sicut frater, moritur'. Orante matre, Domino adiuvante, convaluit. Regina tamen adsiduae regi verbis blandiciis ad Christi cultum suadebat.

**3. 21.** Cumque bellum contra Alamannus Glodoveus rex moverit, suadente regina, vovit, si victuriam obtenebat, effecerit christianus. Cumque uterque phalangiae certamine *iungentes*, *dixitque* Chlodoveus: 'Deum invoco, quem Chrotechilis regina colit; si me iobaret in hoc prilium, ut vincam hos adversarius, eroque illi fidelis'; Alamanni terga *vertentes*, in fugam *lapsi*. Cumque regem suum cernerint interemptum, novem ann. exolis a sedibus eorum nec ullam potuerunt gentem conperire, qui ei contra Francos auxiliaret; tandem se dicionem Chlodoviae subdunt. Nam cum de prilio memorato superius Chlodoveus Remus fuisset reversus, clam a sancto Remedio Remensis urbis episcopum, adtrahentem etiam Chrotechilde regina, baptissimi gratiam cum sex milia Francis in pascha Domini consecratus. Cum a sanctum Remedium in albis euangelio lectio Clodoveo *adnunciaretur*, qualem dominus noster Iesus Christus ad passionem venerat, *dixitque Chlodoveus*: 'Si ego ibidem cum Francis meis fuisse, eius iniuriam vindicassim'. Iam fidem his verbis ostendens, christianum se verum esse adfirmat.

3. 22. Gudegiselus, frater Gundobadi, solatium per laegatis Chlodoveo postulans, cum eum conperisset fortissimo in prilies, promittens, si eiecerit Gundobadum cum suo solatio a regno, tributum partibus Clodoviae dissolverit. Gundobadus ignorans dolum fratris Godegiselus, ad eum misit, dicens: 'Veni, ut resistamus Francis unianimiter, ut quod aliae gentes passi sunt non perforamus'. Ad ille: 'Vadam', inquit, 'et prebeam tibi auxilium'. Chlodoveus cum Francis adversus hos duos regis castra Divionense campania dirixit ad prilium. Godegiselus Chlodoveo coniungetur, ac uterque exercitus Gundobado populo adterit. Ad ille dolo fratris cognoscens, terga vertit; Rodani ripam percurrens, Avenionem

urbem ingreditur. Godegisilus, obtenta victuria, promissa Chlodovio ex parte emplens, Viennamque triumphans. Chlodoveus rex post Gundobadum dirigit, eumque de civitate extragi vellit.